(95)

D. Davidi Pareo.

S. Misit superioribus mensibus, mi frater, etiam ad me D. N. exemplar thesium de contradictione, quas nuper Logico Genevensi displicuisse, D. Beza teste, questus est. Ego hortatus sum illum, ut Jesuitarum et Ubiquitariorum sophismata accuratè refutanda susciperet; sperans seria tractanti præsidium Logices Aristoteleæ arrisurum. Sed recens à D. N. edoctus cognovi, illum etiam de imputatione obedientiæ Christi activæ nodum in scripto quærere cœpisse. Id mihi dolet, tum Ecclesiæ tum ipsius causâ. Nolim autem te aut alios pios cogitare, Bernæ quicquam de justificatione nobis visum καινολογεῖν. Quod ea res ad pacem ineundam factura videretur, si ita geminum et disjunctum justificationis et sanctificationis beneficium statueremus, ut tum illa non sejungeremus, fidemque quâ justificamur, fontem esse bonorum operum agnosceremus: Ita visum est D. Bezæ capita illa dictare. Mea n. illa tantum sunt, quæ de Hubeⁱ controversia sunt scripta. Cum autem religiosam operam in S. Bibliis illustrandis Ecclesiæ probaris, et multi pii tibi gratiam se debere intelligant: est cur tibi gratuleris vastatoris Ecclesiarum sycophanticum præjudicium: quia illud tibi laudi summæ est cessurum. Theses tuas de contradictione cum fructu percurri, majori cum fructu eas relecturus. N. cuius causâ illa sua proposuisse mihi libenter persuasissem. Benedicat Deus tuæ vitæ et studiis. Benè vive et vale, vir Animo meo charissime: et meam [illegible] æqui bonique facito. Basileæ 13. Octobris 1588.

Tuus J. Grynæus.

Salus.